




MUHAMMEDIS
TESTAMENTUM
SIVE
PACTA CUM CHRISTIANIS IN ORIENTE INITA.

Quibus accessit

THEODORI BIBLIANDRI
Viri suo tempore magni
nominis

APOLOGIA,
Pro editione ALCORANI.

Ad omnes Episcopos, Doctores & Pastores Ecclesiarum EUROPÆ.

Publicæ luci exposita
à
M. JOHANNE FABRICIO
Dantiscano.

ROSTOCHII,
Impensis JOHAN. HALLERVORDI Bibliop.
Typis MICHAELIS MEDERI.

Anno M. DC. XXXIIX.


KAISERLICHE KOENIGLICHE
WIEN
HOFBIBLIOTHEK



VIRO CL.

DN.

M. JOHANNI PAULI

Windingio Dano,

S. S. Theol. Lectori Ottonienſi, Amico ſuo optimo

S. D.

JOHANNES FABRICIUS

Dantiſcanus.



Uomodo tibi hactenus, V. CL. curæ cordique fuerit ſtudium linguarum Orientis, nemo rectius me novit. Præterquam enim

quod Wittebergæ, ubi unà eramus, sub communi nostro Præceptore CL. Dn. TROSTIO p. m. diligens mecum Ebrææ pariter & Syriacæ linguæ auditor extiteris; Regiomontum quoq; nobile Porussorum Lycæum frequentasti, studio addiscendi unicè idioma ARABICUM, ab inclyto illo Theologo Dn. Doctore Mislenta, istius linguæ peritissimo. Cui desiderio tuo, cum Excellentissimus Vir propter multiplices occupationes, cùm Academicas tùm Ecclesiasticas, satisfacere non posset, meæ institutioni & curæ Te commisit. In quam eo libentius quoq; consensi, quo rectius præclaræ ingenij tui dotes mihi cognitæ perspectæq; erant. Quid verò præstiterim, malo id à Te & aliis audire, quàm à me impræsentiarum

rum

rum referri. Gaudeo tamen gratulorque mihi, quod tantum discipulum nactus fuerim; qui posthac non tantum publicos sermones de quæstionibus quibusdam Arabicis in Frisiorum Academia Franequerana eruditè sociaverit, sed & tàm nobilem functionem in Daniæ Regno consecutus sit, ut publicus jam Theol. Lector in Gymnasio Ottoniensi audiat. Quam spartam uti variâ tuâ eruditione præclarè exornare potes: Ita non possum non, quin Patriæ tuæ de tanto ornamento gratuler. Imprimis verò, quod in Te Virum habeat, qui Rabbinos, quorum commentaria, quotquot in Biblia V. Instrumenti extant, sedulò evolvisti, sicubi erraverint, accuratè refutare possit. Ut taceam cæteras tuas laudes, quas lubens

lubens prætereo, ne auribus tuis aliquid dare videar. Quas in ejusmodi præconiis utrinq; nos obthurare æqvũ est. Quod cæteram interiorem vitam nostram, animorumq́; consensionem spectat, volui ego maximè prævertere affectioni tuæ, adeoq́; te ad mutui amoris recordationem suscitare. Accipe igitur serenâ fronte pagellas hasce, qvas Nomini Tuo inscriptas esse vides, & qvantum in Te est, consilio tuo editionem Alcorani feliciter promove. Benè recteq; vale, & Fabricium tuum, qvod facis, amare perge. Dabam ROSTOCHI, qvinto idus Aprilis, ANNO M. DC. XXXVIII.

Lecto-



Lectori Benevolo S.


EXhibeo tibi, Lector Amice, Judicium MUHAMMEDIS, quod Testamentum, vel supremam voluntatem vocant, quo ille Christianis in Oriente favet. Res, ut spero, & Literatis non injucunda cognitu, & rerum Orientalium amatoribꝰ haud inutilis futura. Fecit illius copiam EUROPÆ primùm, Pater Pacificus Scaliger ex Capuccinorum familiâ, qui dum in regionibus Orientis fidei sacræ propagandæ sedulam navat operam, felici id nactus est casu. Curavit autem illud Vir Illustr. D. Franciscus Hotmanus in supremâ Parisiensi Curia Senator, ex Arabico in Latinum sermonem primitus transferri à Gabriele Sionita, Interprete & Professore Regio, Maronita è monte Libano. Id quod unà cum textu Arabico, ante annos aliquot primus in GALLIA prælo commisit Antonius Vitraij linguarum Orientalium Typographus Regius. Cum verò pactiones istæ, quas Impostor cum fidelibus iniit, non luce solùm, sed quæ ab omnibus Orientis cultoribus diligenter legantur, quàm dignissimæ sint, volui easdem primus jam in GERMANIA edere, publiciq; juris facere. Non quidem suâ linguâ, qua ante mille annos primò conscriptæ sunt, sed Latina saltim. Cum Germanorum Academiæ & Scholæ nimis frigidè Arabica tractent.

Adjunctam quoq; vides L. B. elegantem Apologiam THEODORI BIBLIANDRI, Viri suo tempore magni nominis, & præcipuæ autoritatis. Quæ pro edendo ALCORANO olim, ut ne nescias, præfixa fuit isti Latinæ Alcorani editioni, quam ipse ante centum propè annos adornavit. Cum enim in eo totus essem, ut disserta-

tatio-

rationem quandam meditarer, qua constitutum erat apud animum meum ostendere, summè necessariam & utilem fore Ecclesiæ Dei publicationem Legis Muhammedicæ utraq; lingua, addito brevi quodam (si fortè necessarium fuerit) antidoto; En ex insperato incidimus inter schedas nostras, in mentionem hujus Apologiæ, qua Vir Doctissimus rem nostram adeò accuratè tractat, ut vix credam in hoc genere quicquam eruditius prodiisse. Quapropter scriptum istud omninò dignum judicavi, ut à tinearum morsu vindicaretur, omniumq; Doctiorum oculis exponeretur. Hoc præsertim tempore, ubi non pauci privatis affectibus magis, quàm studio Ecclesiæ, quod prætexunt, agitati, optimum quorundam institutum remorantur, maximeq; cavent, ne Lex Muhammedis publici juris fiat. Vanus autem iste quorundam metus est. Præterquam enim quod doctrina Muhammedanorum futilis sit, inepta, mendaciis referta, & miserè impingat in temporum rationem, certè nullo fermè sensus acumine aut pondere argumentorum, quod vel leviter intelligentem movere possit, instructa est, adeò quidem, ut illorum opiniones recensere, sit propemodum refutare. Quapropter istorum causa, qui labores optimorum Virorum carpunt, hanc Apologiam, diu consopitam, denuò in lucem & seorsim redire non frustra sit. Et spero equidem fore, ut dissertatio præsens, eò felicius adjuvet editionem Alcorani, quem in Belgio CL. & de linguis Orientis benè meritus Dn. Ludovicus de Dieu, in Superiore verò Germania, CL. M. Johannes Zechendorffius cum patrio simul, & in Latinum verso sermone, publicare constituerunt. Tu interim, Lector Amice, dum à me exspectas majora, has pagellas gratas acceptasq; habe, iisq; in tui commodum fruere. B. V.

TESTA-



TESTAMENTUM ET
Pactiones initæ inter Muhammedem Legatum Dei, & Christianæ fidei Cultores.



Muhammedes à Deo miſſus ad omnes homines erudiendos, eiſque depoſitum Divinum in veritate annuntiandum, ſcripſit hæc: ut cauſa Religionis Chriſtianæ ab ipſo Deo deciſa maneret in omnibus terrarum partibus Orientalibus & Occidentalibus, tàm apud indigenas, quàm extraneos, propinquos & remotos, notos atque ignotos. Cunctis hiſce populis præſentem relinquo Scripturam in fœdus inviolabile, litem definitam, & legem qua & juſtitia declaratur, & arctiſsima horum edicitur obſervantia. Igitur quicunque fidei Muslimicæ cultor iſta peragere neglexerit, & fœdus iſtic contentum violaverit, illudque more infidelium perfregerit, & quæ in ipſo præcipio transgreſſus fuerit: is Dei fœdus violat, pactum repellit, teſtamentum contemnit, ſive Rex fuerit, ſive alius quilibet fidelium & Muslimicorum. Per hæc autem fœdera, quibus me adſtrinxi,

quæque à me Christiani tàm meo, quàm omnium sectatorum meorum Muslimicorum nomine postulaverunt, ut scilicet inirem cum eis pactum Dei & fœdus atque Testamentum Prophetarum, Apostolorum, Electorum, & sanctorum ejus fidelium, & beatorum, antecessorum, & posterorum. Per hoc, inquam, fœdus & testamentum meum (quod tantâ religione custodiri volo, quanta tenetur Propheta missus, aut Angelus Majestati proximus in Deum obedientia, legem & fœdus ejus observantia) polliceor me defensurum judicem eorum in provinciis meis cum equitibus, peditibus, adjutoribus, & sequacibus meis fidelibus: & eos undique ab inimicis servaturum, sive remoti fuerint, sive propinqui, tàm in pace quàm bello, & securos redditurum. Ecclesias eorum, templa, oratoria, monasteria, & loca peregrinationis protecturum, ubicunque sita fuerint, in monte, aut valle, caverna, aut domicilio, planitie, vel arena, vel ædificio. Religionem quoque & bona eorum defensurum ubicunque fuerint, & quacunque in parte jacuerint in terra, aut mari, oriente, sive occidente: quemadmodum custodio me ipsum, sceptrum meum, & gentis meæ populos fideles atque Muslimicos. Item suscepturum eos sub protectione mea ab omni læsione, & vexatione, offensâ & nocumento: nec non hostes omnes mihi & ipsis infensos acerrimè oppugnaturum, per meipsum, & asseclas atque fautores meos, & gentem meam. Quum enim illis præsim, oporteat ut servem & tuear eos ab omni adversitate, ut ne ulla eos attingat noxa, quin priùs tetigerit meos, qui pro isto negotio

confir-

confirmando laborabunt. Me etiam remoturum polliceor ab eis detrimenta, quæ patiuntur confœderati ex mutuationibus & vectigalibus: Ita ut nihil solvant, nisi quod eis libuerit, neque ulla quoad hoc inferatur illis molestia aut incommodum. Episcopus de Episcopatu suo non deturbabitur, neque Christianus de fide Christiana, neq; Monachus de Professione sua, neq; peregrinus de peregrinatione sua, neque Religiosus de cœnobio suo. Neve destruatur ædes ex ædibus Ecclesiarum eorum, nec ullo modo cedant in ædificium templorum aut ædium Muslimicorum; nam si quis hoc fecerit, pactum Dei violat, Nuntio Dei refragatur, & testamentum divinum fraudat. Ne imponatur quidquam Monachis, neque Episcopis, neque ulli ex iis qui non tenentur pretium solvere, nisi consenserint. Et census, qui exigetur à mercatoribus locupletibus, unionum & margaritarum piscatoribus, gemmarum, auri & argenti fossoribus, & Christicolis divitibus atque opulentis, non excedet duodecim denarios annuos: si modò fuerint ejus loci incolæ & habitatores perpetui. Nam viatores & accolæ, & quorum incerta est patria, non tenentur ad vectigalia aut censum, nisi hæreditatem terræ possideant. Qui verò legitimè tenetur ad pecuniam Imperatori solvendam, tribuet quantum cæteri, non amplius: nec quicquam exigetur ab eo ultra facultatem & vires ipsius. Pari modo, qui debet pro terra, ædificiis ejus, & proventibus ipsius, ne oneretur supra modum, neque majoribus gravetur tributis, quàm alii ejusdem generis tributarii. Non cogentur confæ-

derati ad exeundum in prælium cum Muslimicis contra hostes, ad certandum aut explorandas copias hostiles; non enim pertinet ad fœderatos belli negotia tractare: imò eo consilio fœdus initum est cum ipsis, ut minimè vexentur; sed potius Muslimici vigilabunt, eisque cavebunt. Ne ergò compellantur ad egrediendum cum Muslimicis in pugnam & occursum inimicorum, neque ad suppeditandos equos aut arma, nisi id ultro præstare voluerint; Ei autem, qui sponte hoc egerit, beneficio tribuatur, & compensetur. Nemo Muslimicorum Christianos infestet, nec nisi beneficiis cum iis certet; sed omni eos humanitate excipiat, & ab iis affligendis atq; molestandis abstineat, ubicunque locorũ eos offenderit. Si quis Christianorum culpam aut crimen aliquod patraverit, Muslimicorum officium erit opem ei ferre, illum coërcere, negotiari pro eo, spondere pro ipsius culpa, & infortunii causas componere. Dabitur ei facultas vitam suam redimendi, & non deseretur, neque auxilio destituetur, quoniam pacto divino ita convenit cum eis, ut fruerentur quibus Muslimici fruuntur, paterentur quæ ipsi patiuntur: & econtra, Muslimici fruerentur quibus illi fruuntur, paterentur quæ illi patiuntur. Juxta fœdus quod debetur justæ petitioni, & studium in ejus auctoritate cõfirmandâ, tenemini arcere ab eis omnem calamitatem, & omnia benevolentiæ officia in eos exercere, ita ut Muslimici participent cum illis in prosperis & adversis. Caveant præterea, ne ullâ utantur violentia in rebus ad Matrimoniũ pertinentibus; videlicet, ne eos molestent, neque per vim

vim inducant puellæ Parentes ad eam matrimonio jungendam cum Muslimicis. Nulla, inquam, afficiantur molestiâ, si Sponsum recusent; nam hoc omninò spontaneum esse debet, & à liberâ ipsorum voluntate atque beneplacito pendêre. Quod si contingat, ut mulier Christiana dominum Muslimici ingrediatur, tenetur ei libertatem in sua religione concedere, ut scilicet Præsulibus suis obedire valeat, & fidei suæ documenta percipere sine ullo impedimento: quapropter non excruciabit eam, repudium minitando, neque ad fidem deserandã sollicitando: sique id patraverit, eamque in his molestaverit, pactum Dei posthabuit, à fœdere Nuncii Dei rebellavit, & factus est de numero mendacium. Item, quandocunque Christiani Ecclesiam, aut cœnobium, aut aliud quidvis ad cultum suum pertinens restaurature ri, opus habent Mislimicorum munificentiâ aut adjumento ad ejusmodi reparationem, debent eis largiri & subvenire pro viribus suis: non animo repetendi ut debitum, sed gratis, in beneficium fidei illorum, & ad implendum fædus Nuncii Dei dono gratuito concedant, considerantes obligationem, qua tenentur erga pactum Dei, & pactum Nuntii Dei. Ne vexent quenquam illorum, quum fuerit inter Musliminos, neve odio prosequantur illum; cogantq; ad literas ferendas, aut iter indicandum, aut alio quovis modo angarient. Qui enim hujusmodi tyrannides in quempiam exercuerit, oppressor est, & Nuntio Dei adversarius, atque ejus præcepto refractarius. Hæc sunt pacta conventa inter Muhammedem Nuntium Dei, & Christianos.

Cōditiones autem, quarū observantiâ fidem & conscientiam illorum obstringo, sunt: Ne ullum uspiam militem Muslimicis adversum clàm palàmve foveant, aut suis domibus contutentur. Muslimicorum hostes hospitio ne recipiant, & suis in regionibus aut sacris ædib. morari ne patiantur. Ne contra Muslimicos castris inimicis vires subministrent; arma, equos, viros suppeditent, pignora accipiant, contractibus scriptisq; obligentur; sed in locum aliquem sese recipientes, seipsos tuebuntur, & pro vitæ atque religionis suæ defensione pugnabunt. Muslimico cuilibet, ejusque jumentis tribui alimentum nullibi denegabunt, imò variabunt eis cibos, quibus vescentur. At ne his contenti, omnem ab eis angorem & molestiam arcere conabuntur: ita, ut si quis Muslimicus in domibus vel habitaculis eorum latitare fuerit compulsus, amanter eum tutentur, & calamitate, in qua afflictus jacet, eripiant: celantes eum, & inimico minimè revelantes, ac sic officii debitum persolventes. Qui aliquam ex his conditionibus violaverit, & secus faxit, privabitur immunitatibus hoc Dei & Nuntii ejus Testamento contentis, neque frui merebitur privilegiis in favorem Præsulum & Monachorum Christianorum indultis, & Alcorani cultorib. edictis. Quare gentem meam contestor per Deum & Prophetam ejus, ut hæc fideliter custodiant, & opere compleant ubicunque terrarum fuerint. Et Dei Nuntius rependet eis præmium pro istis, quorum observantiam perpetuam, usque ad extremam judicii diem, & mundi solutionem

seriò

seriò commendat. Harum conditionum, quas Muhammed Nuntius Dei cum Christianis pepigit, quasque ipsis injunxit, testes affuerunt.

Abu-Beccri Essadick	*Omar ben - El Chatab*
Othman ben - Afan	*Ali ben Abi Thalib.*
Moavia ben abi-Sofian	*Abu Edardda*
Abu-adrin	*Abu - Horain*
Abdalla ben Masud	*Abdalla ben.elabbaas*
Hamza ben-abdi-Elmutaleb	*Fodail*
Zaido ben - Thabet	*Abdalla ben Zaid*
Harfus ben - Zaid	*El Zubair ben - Elavam*
Saad ben - Moad	*Thabet ben Kais*
Asamed ben - Zaid	*Othman ben Matuun.*
Abdalla ben Omar El-aas	*Aben Rabija*
Hasan ben-thabet	*Giafar ben-abi taleb*
Aben El-abbaas	*Talba ben abdalla*
Saad ben-abade	*Zaido ben arcam*
Sahal ben - baida	*Dauud ben- Giobair*
Abu El-alia	*Abu abrifa ben Ofair*
Haschem ben Assia	*Omar ben-Jamin*
Caab ben - Meleck	*Caab ben Caab.*

Qui omnes gratiosi sint apud Deum.

Secretarius autē fuit Muavia ben-Abi Sofian, *miles Nuntii Dei, die Lunæ ultima Mensis quarti, anni quarti* Hegiræ, *in* Medinâ. *Remuneretur autem Deus omnes qui huic scripturæ sunt attestati.*

Laus Deo Domino Creaturarum.

AD


AD REVERENDISSIMOS PATRES, AC DOMINOS EPISCOPOS, ET DOCTORES Ecclesiarum CHRISTI

APOLOGIA,

Pro editione ALCORANI:

THEODORO BIBLIANDRO, AUTHORE.

Quum



Quum doctrina Muhammedis, quæ nongentis circiter annis, maximam habitati Orbis partem occupavit, atq; depasta est velut cancer, non edatur in publicum ipsa sola, verum cum acie validissima Scriptorum, qui non tam confutant eam & refellunt, quam jugulant atq; conficiunt: Spero nemini religionis Christianæ studioso & erudito, & cordato viro displicere factum. Potiusq; typographi studium, & operam favore prosequenda, qui non sine impensis pecuniarum & labore, hos libros inquisivit & contraxit, ut in communem usum studiosorum venirent, judicaturos, quam ut ulla culpa hic deprecanda sit. Sed quia tàm indocti & mali, quàm docti & integri homines censuram sibi literariam sumunt, multisq; ingens est studium, omnia omnium facta carpendi & calumniandi; existimavi hujus editionis rationem, cujus me fateor magna ex parte authorem, esse reddendā apud Vos religionis Christianæ Antistites: quorum præcipuè interest, sanam pietatis doctrinam conservare, & latissimè diffundere: noxiis autem ratione ac ordine obsistere.

Primoque ostendam, etsi Muhammedanæ doctrinæ codex, quem Arabes vocant Alcoran, ejusq; sectatorum libri plurima contineant falsa, impia, blasphema, non tamē propterea nō legendos esse, neq; publicationem eorum librorum labefactare Ecclesiam. Deinde indicabo, cognitionem doctrinæ & rerum gestarum factionis Muhammedicæ, multiplicem utilitatem afferre Christianis hominibus, præsertim nostra tempestate.

Nam si nihil esset legendum, nisi ab omni mendacio & corruptelâ impietatis remotum, & divinæ Scripturæ per omnia quadrans, pessimè facerent homines Christiani, qui gentilium Philosophorum & Poëtarum libros toties transcribunt, & in privatis atq; publicis Ecclesiarum bibliothecis reponunt, eosq; studiosè legunt, & pueris in scholis interpretantur: qui certè non minorē continent, doceneq; impietatem, si quis illis Magistris uti velit, quam Alcoran Muhammedicus. *Nam vel Deum prorsus negant, quem natura ipsa cunctis hominibus esse demonstrat, vel in ea re hæsitant, vel plures Deos adeoq; innumeros fabricantur. Et quibus Nūmen atq; divinitatem affingunt, eisdem attribuunt non dico probis hominibus indigna, sed in nullo vilissimo homuncione ferenda in civitate benè instituta. Ut interim taceā, quod pleriq; corporum resurrectionem, animæq; immortalitatem, & præmia bonorum, & supplicia malorum æterna post hanc vitam negant & irrident. Quæ persuasio ubi mentem hominis occupavit, tam longè ab omni officio & humanitate abducit, ut nulla fera, nulla venenatissima bestia sævior & nocentior existat, quam homo homini. Quæ omnia quantumvis impius* Muhammed *oppugnat. Ut taceam lasciviam quorundam Poëtarum & obscœnitatem, qua velut dulcedine condiri ajunt sua carmina. Ut alia multa hujus generis prætercam. Unde quidam graves Viri non dubitarunt lascivos Poëtas appellare* tibias Cacodæmonis, *ut quos ipse inspirans per illos conetur letifera commenta ingerere hominibus.* Tertullianus *quoque primi ordinis Theologus, Philosophos vocat hæreticorum Patriarchas. Horū tamē libri chalcographiâ propagantur, & evolvuntur, & Juventuti proponuntur in scholis ita recepto more, ut si quis reprehendat, protinus audiat convicium Asini. Utque legantur*

Philo-

Philosophi, & Poetæ, & alij Scriptores Ethnicorum, Augustinus, Basilius, Hieronymus, Beda, & alii summi Theologi non modo permittunt, verum etiam suadent ac hortantur: idque non tantùm ad facultatē Latini aut Græci sermonis comparandā, sed etiam ut superstitiones & pravæ opiniones Ethnicorum cognitæ aliis indicentur, quo cavere possint: & ut arma præparentur adversum hostes ad pugnam, si quando cum eis congrediendum sit. Adhæc, ut quæcunq; vera & bona, & recta reperiuntur in eorum scriptis, ea tanquam iniquis possessoribus erepta, Ecclesiæ vendicentur. Cum igitur in libro Saracenicæ legis non plura extent falsa & impia dogmata, quam Ethnicorum scriptis: quæ usu propè quotidiano teruntur manibus Christianorum, nec minorem utilitatem ejus lectio quā istorum potest afferre pio & prudenti lectori, de quo plura dicentur idoneis in locis, spero, Doctiss. atq; Religioss. Viri, Dominiq; & Patres venerandi, vos minimè improbaturos esse Alcorani editionem, præsertim cum tot Scriptores ei adjuncti sint, qui omnes errores detegant, ac refellant. Confido etiam Viri prudentes, facilè vos intellecturos, eos qui nos criminantur propterea quod edidimus, aut, ut Alcoran ederetur, operam dedimus, privatis affectibus agitari magis, quam studio Ecclesiæ, quod prætexunt.

Deinde, quis vel mediocrem peritiam Judaicarum rerū consecutus ignorat, eos maximo flagrare odio in Christum & ejus Ecclesiam? quorum libri plenissimi sunt vanitate atque mendaciis, superstitione, impiis dogmatibus, & blasphemiâ. Nam Trinitatis mysterium, & CHRISTI JESU divinitatem pernegant cum Turcis, quodq; per mortem ipsius unica via sit ad æternam felicitatem, ut extremā insaniam & blasphemiam detestantur. Præterea conceptum ex Spiritu Sancto, & natum ex Integerri-

 mâ Vir-

mâ Virgine, velis & equis oppugnant: omniq́ genere conviciorum Dominum gloriæ, & Servatorem totius mundi petunt.

Cum tamē Muhammed *Mariæ virginitatem, & concœpisse ex Spiritu Sancto, non semel adstruat: Christumq́ magnis laudibus evehat, quanquam ut summum Prophetam, non autem ut DEum. Nam quod Judæi armis & violentia superstitionem suam non obtrudunt aliis, neq́ bella gerunt atrocia cum populo Christiano, in causa est imbecillitas eorum. Nam quotidianæ execrationes nominis Christiani per Synagogas, & facta quæ aliquoties deprehenduntur, satis arguunt, si dentur pares voluntati suæ vires, facturos, quod olim Duce* Barchosba *fecerunt in Christianos, aliquot millibus crudelissimè interfectis. Atqui* Thalmud *eorum, quo doctrina universa Judæorum, Christianæ doctrinæ in plerisq́ adversa continet, aliiq́ libri Judæorum ex eadem lacuna mendaciorum & impietatis aspersi, â Christianis in civitatibus Christianorum excuduntur, & inter Christianos divenduntur. Nec quisquam sani judicii homo vituperat eorum studium, sed potius laudat, ut benemeritos de Rep. Christiana: quorum opera sit effectum, ut opiniones, & perversa dogmata improborum hostium fidei Christianæ exactè cognosci possint.* Hieronymus *quoq́ &* Paulus Burgensis, *&* Nicolaus de Lyra, *passim in commentariis Sacræ Scripturæ Judæorum deliramenta inserunt. Nec desunt, qui justis libris populo Christiano exponunt Judæorum perversam doctrinam atq́ superstitionem, velut* Tertullianus, Augustinus *&* Chrysostomus *in Homiliis contra Judæos. Non dubito igitur, Antistites religionis Christianæ, vos omnesq́; non livore atq́ aliis affectibus malis occupatos, multo magis probaturos* editionem Alcorani, *quam* Judaici Thalmud: *ut ex* Muhammedis *Codice authentico,*

non

non ex particulis hinc inde decerptis, penitissimè judicari possit de hostium nostræ religionis superstitione, omnibusq; institutis eorum etiam politicis.

Ad hæc *libri curiosarum artium & superstitiosarum, ut Genethliacorum & Astrologorum divinantium, nec non artes Chiromantiæ & Pyromantiæ, & ejus generis aliæ, illæ etiam quæ commercium aliquod habët cum maligno Spiritu, quas exercere non modo legibus divinis, verum etiam Cæsarum & Pontificum vetitum est: per chalcographiam divulgata exstant, ac leguntur. Divus quoq;* Augustinus *in libris de doctrina Christiana, minimè perniciosum aut inutile censet evolvere libros curiosarum & superstitiosarum artium, sed eo, qui futurus sit bonus Theologus, plane dignum. Aliquot etiam Theologiæ Doctores & Inquisitores hæreticæ pravitatis, ludificationes Satanæ, atque maleficarum actiones, impias & turpes, quantum pervestigatione acri cognoscere potuerunt, conscriptas invulgarunt, approbantibus illud Episcopis. Quorum omnium libri â Typographis impressi distrahuntur, & â studiosis leguntur, neq; sine magno fructu. Siquidem inde cognosci possunt Satanæ cogitationes & astus, hominumq; enormis perversitas, qui se â Deo & verbo ipsius, Ecclesiæq; sanctæ communione avertentes, maligno spiritui mancipati sunt. Quodnam igitur periculum, quam ruinam Ecclesiæ molitur* Editio Alcorani? *Aut quomodo labefactat Remp. Christianam? Cum Viri prudentes & religionis Christianæ vindices edendo in publicum libros de superstitionibus, & maleficiis & diabolicis operationibus, atq; technis variis, tollere pericula voluerint, & labes atque damna prohibere â populo Domini.*

Præterea *ex instituto est omnium artium non modo novisse virtutes, & quid rectè atq; ad finem propositum accommodè*

fiat, verum etiam vitia: Et tam dare præcepta quid evitandũ sit, quamq́ quid agendum, adductis interim exemplis, eorum etiam qui contra leges artis vel egerunt, vel locuti sunt. Idque, ut est in Grammaticis, Dialecticis, Rhetoricis, Ethicis, in Medicina, in Re Militari observatum: Ita in Theologia observatu maxime necessarium est. Et imperfecta prorsus videtur Scientiæ divinæ tractatio, nisi juxta sermo fiat de Institutis Dei, & commentis atq́ versutia Diaboli: De Christo & Antichristo, de Orthodoxis dogmatibus, & hæreticorum vanissimis & profanis opinionibus: De vera & falsa religione: De virtutibus & vitiis: De bonis & malis operibus: De probis hominibus & filiis Dei, itemque de perditis mancipiis Diaboli. Unde in Prophetarum sermonibus, Apostolorum scriptis, propemodum plura dicuntur adversum peregrinos & Impios cultus, quam de legitimo & vero cultu Dei. Neque modò præsentis temporis impiorum hominum partus editos, h. e. falsas doctrinas, perversas religiones, & pessimas actiones attingunt. Verum etiam præterita repetunt, & de futuris præmonent. Quemadmodum Esaias in sermone, *qui continetur â* 40. *usq́ ad* 50. cap. *totam Babyloniorum religionem, & Deos factitios, & cultus, & persuasiones impias de suis Diis, graphicè depingit, ac populo Juda proponit ante centum annos, quam abducantur in Babyloniam. Simulq́ rationes apponit, quibus olim confirmentur in vera unius Dei religione, & non deficiant ad Babylonicam superstitionem. Paulus quoq́ præmonens de novissimis temporibus* prior. ad Tim. 4. *ait. Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam â fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinen-*

stinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem. Et Petrus 2. Ep. 3. inquit: Quod venient in novissimis diebus Illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio Creaturæ. Servator etiam in Evangelio, in novissimis temporibus surrecturos multos Pseudoprophetas, qui Doctrinam Christianam pervertant, indicantes Christum in diversis locis, ubi minime reperitur: Foreque tempora plena proditionibus, perfidia, crudelitate, quæ inter cõjunctissimos homines grascentur etiam: Hominesq́ victuros securè, deditos crapulæ & ebrietati. Quæ omnia cernimus venisse. Et tamen qui talia faciunt & tradunt, vel potius obtrudunt aliis, soluti ab omni religione & metu Judicij divini, adeo non acceperunt suam impietatem ex Apostolorum & Christi doctrina, ut modis omnibus quærant eos perdere, qui redarguunt eorum doctrinam, & perditam vitam per Apostolicam doctrinam. Hæc cum ita se habeant, perlecto semel & iterum Alcorano, existimo rem Theologiæ tractatoribus gratam & Ecclesiæ salutarem fore, si Muhammedis doctrina, & res gestæ, ejusque sectatorum ederentur in lucem hac tempestate, qua Christianæ res & Muhammedanorum Turcarum, bellis & Infestationibus, & captivitatibus, & fœderibus maximè colliduntur inter se. Et Typographum Joannem Oporinum, amicum singularem, hortatus sum ut excuderet, pollicens omnem meam operam, quam & pro virili præstiti, nec video ullam rationem idoneam, cur debeat consilium factumq́ nostrum improbari.

Porro

Porro quis nescit, quanta sit utilitas Historiæ, *quæ prudentiam & faculatem affert judicandi de omnibus vitæ humanæ partibus? à quot hominibus eruditis evecta est usq; ad cœlum summis laudibus? Quis literarum & sapientiæ cupidus non eâ delectatur, & historiæ lectioni bonam vitæ partem non impendit? Nec est quisquam historiæ Scriptor tam indoctus, aut Infans, modo veritatis explicandæ studium præ se ferat, qui non aliquem fructum lectoribus afferat. Est autem historiæ & quidem Ecclesiasticæ pars, expositio doctrinæ & aliarum rerum* Muhammedis. *Ut liquidò perspici queat, quo Authore, qua occasione, quibus rationibus & genere doctrinæ Arabes* primum, *ap. quos olim florentiss. fuerunt Ecclesiæ Christi,* deinde *tot populi Christiani abducti sint ab Ecclesiæ Catholicæ commercio, & in acerrimos hostes conversi. De quibus nonnulla in nostrorum hominum Scriptis legi, quæ paulò aliter & probabilius narrantur in Arabum libris. Quod si quem offendit, quod* Muhammedica *scripta plus mali, quam boni continent, is cogitet ingenii humani pravitatem, & Magistri mendaciorum & omnis mali naturam. Unde fit, ut omnis rerum gestarum expositio longe plus mali quàm boni exhibeat. Commemoratne historia non modo extera, verum etiam Ecclesiastica, & si fas est divina conjungere humanis, adde quoq; Divinā, tantùm Angelos aut Sanctos homines, & pietatem, verumq; & rectum Dei cultum, & honestas actiones, utq; semel dicam, ea duntaxat quæ probanda, quæ imitanda, quæ tenenda sunt? An non potius bona Historiarum pars loquitur de pravis hominib⁹ & facinorosis, de lurconibus, tyrannis, latronibus, superstitiosis, aut etiam extremè impiis? An non crebra mentio fit superstitionum, prophanæ culturæ Numinis, factionum, seditionum, bellorum immanium, latrociniorum, veneficij,*

ficij, parricidiorum, luxus, stuprorum, adulterii, incestus, luxuriationis nefandæ, fraudum, furtorum, peculatus, sacrilegiorum, perfidiæ, proditionum? Qui hæc non legi velit in populo Christiano, ejiciat extra limina Ecclesiæ historiam universam Ethnicorum & Ecclesiasticam oportet. Oportet ut deleat magnam partem Sacræ sanctæq; historiæ, ut Dei verbo vim inferat, ut divinæ sapientiæ consilia reprehendat, damnetq;. Siquidem Deus sapientiss. benevolentiss. & sanctiss. qui non vult iniquitatem, cujus voluntas est sanctificatio nostra, talem narrationem suo populo tradidit, eamq; legi & cognosci vult, non ut injusta, turpia, immoderata, impia discantur & patrentur, sed ut homines præmoniti caveant, abhorreant, detestentur. Quare mihi videntur vel de Muhammedicis scriptis, quæ hoc volumine continentur, non probè judicasse, vel affectu quopiam privato moveri, qui hanc Saracenicæ historiæ editionem iniquè ferunt & vituperant.

Non sic egerunt veteres illi nunquam satis laudati Ecclesiarum Præsules, qui errores & impia dogmata, & hæreticorum doctrinas, quas velut arcaniss. mysteria conabantur apud se occultare, haudquaquam latere passi sunt. Ac censuerunt impiæ doctrinæ confutationem & jugulationem esse, vel è latebris in lucem protrahi, & in Christiani populi judicium adduci. Nihil n. est infirmius mendacio, ubi ad lucernam divinæ veritatis consideratur. Quem enim mediocriter doctum in Evangelio & lege Domini, vel tantillum moveant omnes Muhammedis rationes languidæ & elumbes, quibus nititur adstruere Christum non esse Deum, si unum in fasciculum colligantur? Deus (inquit) unus est. E. non Pater, & Filius: essent enim plures. Si pater & filius essent, & proinde plures

Dei, schisma consequeretur, & factiones in cœlo: igitur Deus non habet filium. Deus nullius indiget, ac per se potuit omnia creare, omnia gubernare: igitur non genuit filium. Nefas est in Deo cogitare membra & actionem generandi: igitur non genuit filium. Christus & mater ipsius comederunt ut cæteri homines: igitur non est Deus. *Docuit*, Adorate Deum & Dominum meum: quare ipse non est Deus, qui Deum adoravit. *Quem inquam istæ frivolæ argumentationes moverent? Vel quis piorum ex Sacrâ Scripturâ non statim solveret? Unde* Muhammedistæ *à disputationibus & doctrinæ suæ discussione abhorrent, præmoniti etiam à suo Doctore callidissimo, qui facilè prævidit suam doctrinam consistere non posse, si ad normam veritatis exigatur. Celant etiam* Muhammedani *libros suos, quantum possunt, ne veniant in manus hominum diversæ religionis. Verum ne quis opinetur me ista fingere, apponam verba ejus Viri Docti & Religiosi, qui Anno salutis M. CCCCLI* Fortalicium fidei *scripsit in* Hispania, *ubi mores & consuetudinem* Saracenorum *ignorare non potuit. Sunt autem hæc verba in lib. 4. consideratione tertia, de fatuitatibus & fabulosis legibus* Muhammedis. Literati & magni sapientes inter Saracenos non adhibent fidem, sed fictionem doctrinæ advertunt in prædicto libro. Cujus sunt duo signa. Primum, quod renuunt disputare cum aliis sapientibus publicè. Secundum, quod nolunt adduci Alcoranum in publicum: & dolent vehementissimè, cum ab aliis legitur: & nullo modo vellent, quod in linguas alias & literas transferretur. *Hæc ille. Quapropter qui* editioni Alcorani *obtrectant, & nos, qui operam eâ in rè navavimus,*

mus, traducunt, & falsis criminibus apud viros bonos nituntur invisos reddere, nihil adhuc amplius vel studii vel operæ contulerunt in Ecclesiam Christi, quam ipsimet sectatores Muhammedis. *Apud quos fortassis iniri gratiam volunt isto beneficio.*

Sed operæ precium videtur huc apponere aliquas Majorum sententias & facta, ut planius cerni possit, Alcoranum *non ullâ temeritate, aut proposito lædendi Ecclesiam hoc tempore vulgari: Sed præmeditatâ ratione, & exemplo præstantissimorum hominum in Ecclesia. Prius tamen constituendum est, quo genere doctrinarum* Alcoran *contineatur. Romana Ecclesia per libros Pontificii Juris, & in Litania Parasceves, separat ab hæreticis* Saracenos, *sicut &* Judæos *&* Paganos. Epiphanius *autem in opere de hæresibus, Judæorum sectas, Pharisæos, Saduceos, Herodianos, & reliquos: itemq; sectas gentilis Philosophiæ, utpote Stoicos, Academicos, Epicuræos, & cæteros uno genere hæreticorum complectitur tanquam partes. Qua ratione* Alcoranum *inter doctrinas hæreticas rectissimè constituemus: præsertim cum ejus perversa dogmata reperiantur ab aliis, ante ipsum, hæreticis jactata esse. Ex definitione quoq;* Augustini, Muhammed *hæresiarcha judicari debet, ejusq; doctrina hæretica. Est autem* Aurelii Augustini *definitio ejusmodi ex libro de utilitate credendi, quam ponit in* decreto, causa *XXIV.* quæstione 3. *Hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ, principatusq; sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. Quæ omnia in* Muhammede *ita sunt nota, ut indicio non egeant. Quare jam exempla Majorum aliqua perstringam.*

Ireneus *Episcopus Lugdunensis, & martyr Christi, vicinus Apostolorum temporibus, omnium hæresium, ab ascensione Domini, usq; ad sua tempora, traditiones diligentissimè conscriptas, posteritati Christianæ tradidit. Idemq; in præfatione primi libri ejus operis istam rationem reddit: Igitur ne forte & cum nostro delicto abripiantur quidam quasi oves â lupis, ignorantes eos propter exterius ovilis pellis superindumentum, â quibus cavere denunciavit nobis Dominus; similia quidem nobis loquentes, dissimilia verè sentientes: necessarium duxi, cum legerim commentarios ipsorum (quemadmodum ipsi dicunt)* Valentini *discipulorum, quibusdam autem ipsorum & congressus, & apprehendens sententiam ipsorum, manifestare tibi dilectissime portentuosissima & altissima mysteria eorũ, quæ nõ omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent: ut & tu cognoscens ea, omnibus iis qui tecum sunt, manifesta facias, & præcipias eis, observare se â profundo insensationis, & ejus quæ est in Deum blasphemationis.*

Post aliquot annos insecutus Tertullianus, *lib. cui titulus est adversus omnes hæreses, imitatus* Ireneum, *omnes hæreses explicat, â* CHRISTI *prædicatione usq; ad sua tempopora. Docet etiam hæreses non capere quemquam, nisi admiretur eas. Valere apud eos multum, qui in fide non valent.* Dyonisius *Alexandriæ Episcopus, &* Eusebij *testimonio nobilissimus Patrum,* in lib. Ecclesiasticæ historiæ *inquit: Ego tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiamsi videar ad horam verbis eorum pollui: Sed multum mihi confert hoc ipsum, quod ex ipsorum verbis arguere eos possum, deniq; dum aliquis ex fratribus & compresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione, tanquam cæni alicujus fætore polluerer: Visio mihi quædam â Deo ostenditur, quæ me confirmaret, & sermo ad*

me

me factus est, hæc mihi evidenter proloquens: Lege omnia quæcunque in manus tuas venerint, quia probare singula quæque & discernere potes: quandoquidem ex initio tibi hæc causa fuit credendi. *Amplexus sum visionem, quia & Apostolicæ sententiæ concordabat, dicenti:* Omnia legite, quæ bona sunt tenete.

Porro Epiphanius *Episcopus in Cypro Insula, doctrinæ celeberrimæ Vir, adductus multorum piorum precibus, opus non exiguum edidit, quo hæreses* octoginta *memorat, non raro duas aut plures conjungens hæreses. Aliter numerus major profluxisset.*

Nam Philastrius *Episcopus Brixensis, CLVI. hæresum dogmata & prophana instituta exposuit.*

Post quos divus Augustinus *Episcopus Hipponensis, & Doctor Ecclesiæ inter Catholicos & orthodoxos facile princeps, & priorum diligentiam laudibus prosequitur, & ipse librum, quo hæreses LXXXVIII. complexus est, edidit. Cujus sanctissimi Patris verba de utilitate quam afferunt hæreses, licet Diabolus ad nocendum Ecclesiæ concitet, huc apponenda videntur* ex cap. VIII. libri de verâ religione. *Sunt enim dignissima, quæ cum in* Muhammedica, *tum in aliis hæresibus inspiciantur. Quoniam, inquit, verissimum dictum est, Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos: utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri: Sed manifesti non*

 sunt

sunt inter nos, quamdiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire maluimus, quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi ut diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos excitantur. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias afferentes, vigilantiores & cautiores simus: etiamsi eos ad salutem revocare non possumus.

Omitto morem Ecclsiæ in librorum censura, quæ cum Apocryphis non pauca improbaret, velut in Evangelio Nazareorum, *in* Evangelio Nicodemi, *& aliis scriptis, quæ multa olim circumferebantur, hactenus damnavit & rejecit, ut in Ecclesiæ publico cœtu non recitarentur, ut Canonici & Ecclesiastici libri: permitteret autem piis & studiosis hominibus, ut privatim legerent cum judicio: & si quid reperirent, quod faceret ad ædificationem Ecclesiæ, id licebat etiam in Ecclesia proferri, loco idoneo & tempore. Præterea, quod* Hieronymus *etiam scripsit de hæresibus, Augustino teste: quodq; in Commentariis Scripturæ Sanctæ passim ingerit hæreticorum dogmata, si quam Scripturam interpretando corruperunt, aut ex aliquo testimonio convinci & redargui possunt. Præterea alia multa, studio brevitatis. Veterum itaq; pulcherrima exempla & magna secutus Dominus* Petrus Abbas Cluniacensis, *curavit magnis impensis, ut* Alcoran *à Latinis legi posset, non per hoc incommodaturus Ecclesiæ, sed rem utilissimam effecturus. Cui Viro quantum tribuerit D.* Bernhardus, *qui arctissimo vinculo sanctæ amicitiæ complexus est eum, tum aliæ ipsius Epistolæ testantur, tum CCLXXVII ad* Eugenium *Papam, paucis verbis ingentē copiam virtutum & rerum bonarum ei tribuens. Honorate virum, inquit, ut vere honorabile membrum in CHRISTI corpore. Vas*

est

est in honorem, ni fallor, plenum gratiæ & veritatis, refertum pluribus bonis: & reliqua. Qui Vir pius & eruditus, si vidisset nostra tempora, magnam haud dubiè partem opum cœnobii sui impendisset, ut non modo singulæ bibliothecæ Collegiorum, sed etiam singuli Magistri Ecclesiarum haberent Turcicæ legis Codicem: quo melius possent homines Christianos adversus periculum impendens divino verbo munire.

Sed non inutile fuerit etiam paucis indicare, quid Romani Pontifices & Concilia de hoc negotio decreverint. In Concilio quidem Charthaginensi decretum est, ut Episcopus gentilium Poëtarum libros non legat: hæreticorum autem perlegat, pro necessitate aut tempore. Id distinctione XXXVII ponitur in decreto. Cæterùm in Concilio Viennensi, quod Clemens Quintus celebravit Anno salutis nostræ M. CCCXI de Arabicis libris, inter quos Alcoran primatum obtinet, ad hunc modum sanxit, ut est in Clementinis, de Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentiâ docendi: Inter sollicitudines nostris ,, humeris incumbentes perpeti curâ revolvimus, ut errantes in ,, viam veritatis inducere, ipsosq; lucrifacere Deo suâ nobis coope- ,, rante gratiâ valeamus. Hoc est quod profectò desideranter ,, exquirimus: ad id nostræ mentis sedulò destinamus affectum: ac ,, circa illud diligenti studio, vel studiosa diligentia vigilamus. ,, Non ambigimus autem, quin ad hujusmodi nostrum desiderium ,, assequendum, divinorum eloquiorum sit expositio congrua, ipso- ,, rumq; fidelis prædicatio admodum opportuna. Sed nec ignoramus, ,, quin & hæc promi noscantur inaniter, vacuaq; redire, si auribus ,, linguam loquentis ignorantium proferantur. Ideoq; illius, cujus ,, vicem in terris, licet immeriti, gerimus, imitantes exemplum, qui ,, ituros per universum mundum ad evangelizandum Apostolos, in ,,

omni

" omni linguarum genere fore voluit eruditos: Viris Catholicis no-
" ticiam linguarum habentibus, quibus utuntur infideles præcipuè,
" abundare sanctam affectamus Ecclesiam: qui infideles ipsos sci-
" ant & valeant sacris institutis instruere, Christicolarumq; colle-
" gio per doctrinam Christianæ fidei, ac susceptionem sacri Bapti-
" smatis aggregare. Ut igitur peritia linguarum hujusmodi pos-
" sit habiliter per instructionis efficaciam obtineri, hoc sacro appro-
" bante Concilio, Scholas in subscriptarum linguarum generibus, u-
" bicunq; Romanam curiam residere continget, nec non in Parisien-
" si & Oxoniensi, Bononiensi, & Salamantino studiis provi-
" dimus erigendas: statuentes, ut in quolibet locorum ipsorum te-
" neantur viri Catholici, sufficientem habentes Hebraicæ, Ara-
" bicæ, & Chaldeæ linguarum notitiam: duo videlicet, unius
" cujusque linguæ periti, qui Scholas regant inibi, & libros de
" linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas i-
" psas sollicitè doceant, earumq; peritiam studiosa in illos instructio-
" ne transfundant: ut instructi & edocti sufficienter in linguis hu-
" jusmodi, fructum speratum possint Deo authore producere, fidem
" propagaturi salubriter in ipsos populos infideles. Hactenus sunt
" verba Decreti. Quos autem libros Arabum, Synodus jussit trans-
ferri in Latinam linguam? non certe Medicorum aut Astro-
logorum magis, quam eos, qui religionem attingunt. Ad quem au-
tem usum transferri jussit? ut in cavernas abstrudantur, aut
cum tineis & blattis luctentur? Nimirum ut publici usus fiant,
& legantur, & eorum perdiscantur opiniones, qui ad Christia-
nam religionem adducendi sunt. Unde autem linguam Ara-
bicam Magistri docere possent, quam ex libris Arabicis?
Nullus autem liber commodior est rudibus tyronibus,
quam Alcoran, propter lectionem, cum vocales aliosq;
apices

apices literis appositos habeat, qui aliis libris desunt;& propter observationem Grammatices. *Quemadmodum in* Hebraica *lingua nullus est aptior liber discentibus, quam* Bibliorum; *cum in aliis notæ vocalium & prosodiæ non adscribantur. Utilissimum tamen discentibus* Arabicam *linguam fuerit, Latinam Interpretationem adhibere Arabico libro, etiamsi Præceptor doctus & fidelis obtingat. Quam utilitatem experiuntur studiosi etiam in Græca lingua.*

Proinde authoritas doctissimorum & sanctissimorum Patrum, de quibus memini, jure præponderat legi Theodosii *Junioris, &* Valentiniani, *quæ prohibet* Nestorii *libros, quem Synodus* Ephesina *damnavit, scriptos habere, vel legere aut describere: Jubetq; diligenti studio requiri, & publicè comburi. Præsertim si quis inspiciat mores Principum magnorum, qui plerumq; de literis & doctrinis judicare non possunt, vel per imperitiam vel per occupationes bellicas: Et permittunt eam administrationem sæpe hominibus neq; piis, neq; doctis, neq; prudentibus. Certè isti Principes eâ lege non majorem pietatis & justitiæ laudem adepti sunt, quam si* Maximilianus *augustæ memoriæ præbuisset se hominibus quibusdam improbis circumveniendum, qui postulabant libros Judæorum* Thalmudicos *eripi & extingui. Non enim hac viâ Judæi evasissent Christiani, neq; Christiani meliores. Quibus se strenuè opposuit Divus* Reuchlinus, *nec permisit Cæsar Augustus Virum optimum per vim opprimi: Uterq; immortalem gloriam ex eo negotio apud posteros consecutꝰ. Et quid flammis effecerit* Theodosius & Valentinianus, *aut alii eorum nomine talia sancientes, tempora seq. indicant. Nam doctrina* Nestorii *non deleta est, & Nestoriani sobolem produxerunt, ut post annos prope CC.* Sergius *Nestorianus* Muhamme-

dem *sua hæresi effinxerint aliquâ ex parte.* Verbo enim Dei & Spiritu oris Christi monstra hæreticorum domantur: Si Christiani piè sanctèque vivant, & doceant juxta verbum Domini: Sique sagaciter prava dogmata eorum, quos in viam reducere moliuntur, pervestigent, & prudenti moderatione accommodent medicinam.

Postremò, Viri doctissimi & religiosissimi, quodnam piaculum est? Quod scelus? Quod peccatum? Quæ culpa, delictum, error? eum librum denuo per typographiam *publicare, qui olim per* Chirographiam *vulgatus est, non ab impiis hostibus Ecclesiæ, sed venerandis præsidibus: Non â temerariis hominibus, sed inprimis circumspectis: non â stolidis ardelionibus, sed â gravissimis & prudentibus viris, qui Ecclesiam juvare, non labefactare voluerunt?* Primum *quidem juris publici* Alcoranum *fecit, D.* Petrus Abbas Cluniacensis. *Nam librum ex propriis scriniis proferre, aliisq; describendum exhibere, ac librariis permittere, ut in Bibliothecas publicas & privatas transmigret, si ante artem Typographicam non fuit edere atq; publicare, nescio quid sit apud veteres libros invulgare.*

Deinde Johannes Segebiensis, *qui postea Cardinalis creatus est, in concilio* Constantiensi *Alcoranum â se Interpretatum, & Notis adornatum in usum publicum edidit. Præterea nullum est dogma insigniter impium & perversum in* Alcorano, *quod non exstet in libris eorum, quos antea indicavi,* Irenei, Tertulliani, *Scriptorum Ecclesiasticæ historiæ,* Epiphanii, Philastrii, Augustini: *quorum libri sæpius fœtant prope quàm cuniculi; & Typographi quæstum inde non exiguum tolerant, & rem studiosis bonæ literaturæ inprimis gratam faciunt. Quædam etiam absurdiora in veterum hæresium descriptionibus*

repe-

reperiuntur, quam Alcoran protulerit. Quædam Muhammedis opiniones conflatæ sunt ex Scripturis Sanctis malignè interpretatis. Voluit enim versutissimus Pseudopropheta suam doctrinam consonam videri scriptis Canonicis Veteris & Novi Testamenti: Quam aliàs supplementum Judaici Testamenti & Evangelii appellat; aliàs confirmationem. Quædam ex Apocryphis Judæorum & Christianorum accepta sunt. Tantumque Seductor Spiritus antiquas suas nænias in Muhammedis doctrina palliolo novo vestire conatus est, ne agnoscerentur, fingens nuper hæc cælitus ad Prophetam Muhammedem delata esse. Neq; voluit ullus hæresiarcha discipulus videri alterius, cum eandem doceret impietatem: Sed colore aliquo suum dogma fucarunt scelesti deceptores, ut pro novo venditare possent.

Verum hæc aliquot exemplis demonstranda videntur, ut nemo non intelligere possit, vitilitigatores istos falsò nos criminari, quasi novis venenis Ecclesiam inficere velimus edito Alcorano. Non semel in Alcorano scriptum est, Heman quendam cum Pharaone Moysi præcipuè obstitisse. Is nimirum est Jamnes, ex eo Apocrypho productus, ex quo & Apostolus Magorum nomina Jamnis & Mambris accepit. Abraham quoq; libros scripsisse ait: Quod in Græcorum canone quodam etiam legitur. Exemplum quoq; pervertendi scripturas unum hic posuisse sat fuerit, cum in marginibus Alcorani eæ depravationes annotatæ sint. Nam cum in Genesi referatur, quod capto Loth, Abraham quatuor reges persecutus sit: id violenter torquet Muhammed in eam sententiam, quod fidem suam gladio propagare voluerit.

Jam vinum bibere ante Muhammedem perhibuit Severiana hæresis, itemq; Manichaica. Gladio persequi adversos suæ

 religio-

religioni, ab Arrianis *didicit: ut taceam* Aristobulum *Judæorum Pontificem,* & Heraclium *Imperatorem, qui etiam violentiâ pertrahere homines in religionem suam conati sunt. Sacramenta divinitus instituta pro nihilo ducere, commune habet cum* Messalianis, *de quibus* Epiphanius *multa scribit: &* Pepuzianis & Manichæis. *Plures uxores ducere, Patrum exemplo niti videtur. Idem fecerunt* Nazarei *hæretici, qui & circumcisionem & legis observationem defenderunt, sicut* Muhammed. *Quod si verum est, ut* Muhammed *permiserit luxuriationem contra naturam, quod Saraceni prorsus negant, & plurimis in locis* Alcoran *eam fœditatem vehementissimè detestatur: id tamen ei commune esset cum* Ophitis *seu* Caianis, *qui Cain, Esau, Core, Judam Sodomitas colebant, suosq́ cognatos confitebantur. Animas unà cum corporibus interire,* Alcoran *obscurius tradit. In libello autem de doctrina* Muhammedis, *expressius doctrina, & in novissimo tempore per tubam Archangeli excitandas esse. Hoc ipsum Arabianorum hæresis professa est, temporibus* Originis. *Et antea* Cerdon *resurrectionem animarum adstruxit, corporum resurrectionem negavit. Quod de purgatione animarum & liberatione etiam malorum hominum, & Diaboli docet, id ipsum &* Originiani *docuerunt. Tantumq́ interest quod* Muhammed *illam virtutem,* Alcorano *suo vendicat, per quem redimendi sint, si vel novissimo die fidem ei adhibeant. Paradisum voluptatibus corporis affluentem post* Cerinthum & Papiam *Hierapolitanum, qui Chiliastarum hæresin condidisse fertur,* Muhammed *fabulatur. Christum non esse mortuum, sed frustatis Judæis ad cœlos evectum, mentitur cum* Cerdone & Marco, *qui putativè passum dicit: Et* Manichæis *cum* Saturnino *quoq́ &* Basilide, *qui Symonem*

Cyrenaicum pro ipso crucifixum esse commenti sunt. Formam corporis humani Deo tribuit, cum Andianis, *qui & Antropomorphitæ. Trinitatem negat, cum* Noëtianis & Sabellianis *qui & Patri-Passiani: asserentibus eundem Patrem, filium, & Spiritum S. Heresis etiam quæ* Cata Æschinem *dicitur, Christum eundem dicit cum patre.* Praxeas *quoq; &* Hermogenes, *DEum se sibi filium constituisse dogmatizabant. Multo autem insanius hæresis quædam innominata, triformem DEum fingit, ut quædam pars sit Pater, quædam filius, quædam Spiritus Sanctus. Cæterum plurimæ sectæ à temporibus Servatoris usque ad* Muhammedem *negarunt JESUM CHRISTUM esse filium Dei. Quarum aliquas enumerare constitui, ut evidentius cernatur, Satanam hostem Dei & generis humani improbissimum, nulli dogmati æquè infestum esse atq; Incarnationi Filii Dei, in qua vera Dei notitia continetur & remissio peccatorum, vita deniq; æterna. Simulq; versutia Diaboli agnoscatur, qui subinde novo involucro veteres & lethiferas opiniones tegere conatur. Adhæc judiciũ Dei spectetur adversum eos, qui Dei Verbo Incarnato impiè contradixerunt.*

Quorum hæreses quædam etsi longiore tempore duraverunt, omnes tamen exstinctæ sunt, & senserunt, quod Dominus hostibus suis comminatus est Luc. XX. cap. Omnis qui ceciderit suprà illum lapidem conquassabitur, suprà quem autem ceciderit comminuet illum. Neq; diffidendum est, quin si domi pri- »
mùm *res nostræ ad divini verbi regulam componerentur,* dein- »
de *Viri Ecclesiastici, & Magistratus Christiani, populusq; totius* »
fidelium jungerent studia & operas ad Muhammedicam *Im-* »
pietatem expugnandam armis spiritualibus, *brevi* Muham- »
med *vilesceret, ejusq; doctrina in contemptum abiret, Christique* »

 regnum »

" regnum tolleret altè caput in iis regionibus, quæ hodie Princi-
" pi tenebrarum serviunt, olim Ecclesiis Christi ornatissimæ fue-
" runt.

Utq; à temporibus Christi ordiamur, Matth. XXII cap. satis apparet, Pharisæorum fuisse opinionem falsam; Messiam non Deum Deiq; filium, sed tantum hominem existere. Quos validissimè confutat Dominus testimonio Psalmi CX. Cap. quoque XVI in Evangelio Matthæi, variæ sententiæ hominum de Christo referuntur, quæ omnes eò tendunt, non DEI filium, sed tantum hominem esse. Quibus opinionibus vanis Petrus nomine Apostolorum orthodoxam & catholicam opponit confessionem, quod sit Christus filius Dei vivi.

Mox post ascensionem Domini exorta est hæresis Gajana, seu Nicolaitarum, quos Joannes in Epist: sua notat, vocans Antichristos, qui Christum negarent in carne venisse, & putarent, non esse filium Dei; ut est apud Tertullianum.

Apostolorum quoq; temporibus, Claudio Imperante Romanis, Symon Samarita, in quem Petrus horrendam sententiam tulit, ausus est se jactare summam virtutem, hoc est, summum Deum: & tempore Tiberii apparuisse putative in filii personâ, in monte Sina legem Judæis dedisse in persona Patris, super Apostolos autem in linguis igneis, &. in cæteris gentibus quasi Spiritum Sanctum adventasse. De quo Ireneus, Augustinus, Eusebius &c.

Menander successit Symoni, scutum Diaboli, qui præceptoris sui Symonis impudentissimam gloriationem in se transtulit, semet Salvatorem dicens, qui ad hominum salutem de cœlestibus & invisibilibus seculis destinatus fuerit. Idemq; in suo, non

in

in Christi nomine, baptisavit. Cujus meminit Ireneus, August. Eusebius *& alii.*

Ebion, *à quo prognati sunt Ebionei, seu Ebionitæ, CHRISTUM solum hominem putavit, & per profectum vitæ & virtutis virum justum effectum, ut in* Eusebii *chronicis, &* Augustini *libro de hæresibus, & aliis ejusdem argumenti legitur.*

Carpocrates, & Cerinthus, *JESUM tantum esse hominem dogmatizaverunt, authoribus* Tertulliano, & Augustino &c.

Marcion *denique Cerdonis discipulus, eandem vindicavit Impietatem, viventibus adhuc Apostolis. Cujus impium dogma* Lucanus *excepit, authore* Tertulliano.

Sethiani *quidam putaverunt, Sem filium Noæ, CHRIstum esse.*

Alogiani *autem, usq; adeo Verbum & Filium renuerunt, ut etiam Joannis Evangelium respuerint, eò quod in ejus principio scribitur:* In principio erat Verbum, *& reliqua. De utraq; hæresi* August. *scribit, post alios.*

Theodotiani *tradiderunt Christum hominem tantum esse, quanquam conceptum ex Spiritu S. natum ex virgine: ut* Tertullianus *&* Augustinus *scribunt. Quod* Muhammedis *dogma refert proximè.*

Origeniani *non veriti sunt dicere, Christum à Patre tantum distare, quantum à Christo distent Apostoli, testis* Augustinus.

Artemonis *hæresin instauravit* Paulus Samosatenus, *sub Galieno Imperatore, circiter annum Domini CCLXX. Quæ asseruit Christum purum esse hominem, hoc est, absq; Deo, idque traditum ab Apostolis. De quo* Eusebius & Augustinus.

Paucis

Paucis post annis Urbicus *genere* Persa, *qui propter mentis vitium* Manes, *hoc est*, Insanus, *cognominatus est, à quo* Manichæorum *profluxit hæresis, insania elatus, nunc se paracletum prædicabat, nunc conabatur ostendere se formam Christi gerere, duodecim eligens discipulos, quos ad prædicandum stulta & impia, & à diversis hæreticis mutuata dogmata mittebat. De quo* Eusebius, Augustinus, *alij.*

Reddita pace Ecclesiis post Diocletiani *persecutionem,* Arrianæ *hæreseos incendiū exarsit, circa CCCXX annū salutis recuperatæ. Quod multos Episcopos & Principes involvit, ac diutissimè Christi Ecclesiam exercuit. Docuit autem impius* Arrius, *Christum non esse substantiæ ejusdem cum Patre. De quo* Eusebius & Theodoritus *copiosè, nec non* Augustinus *& alii.*

Circa salutis nostræ annum CCCLVIII Photinus *Antiochenus Præsul, impium dogma protulit, idem cum* Samosatenâ *hæresi reipsa, verbis autem abludens. Docuit enim* Photinus *Deum omnipotentem unum esse, qui proprio verbo condiderit universa. Refugiebat autem Christi filii Dei nativitatem & existentiam ante secula profiteri. De quo in 5. lib. Tripartitæ historiæ.*

Theodosio & Valentiniano Imperatoribus Nestorius *Episcopus Constantinopolitanus, tardioris ingenii hominibus visus est cum* Samosateno Paulo *&* Photino *CHRISTUM dicere purum hominem. Quod opinatus etiam est* Sergius *Monachus, qui dogma istud scelestum tradidit* Muhammedi. *Atqui* Nestorius *non detraxit prorsus Christi divinitatem, sed ab humana natura in Christo ita separavit divinam, ut duas personas fingeret impius somniator. Unde argutabatur: Cum Ma-*

ria homo fuerit, Deus non est quem illa genuit: Et qui adolevit ritu hominum, bimestris & trimestris existens, DEUS haudquaquam est. Neq; Mariam Dei genetricem appellandam esse, impius hæresiartha latravit. Neq; fas, credere illum Deum, qui pependit in cruce, qui mortuus est. Interim Verbi Dei subsistentiam confitebatur, & Christo pro merito collatam esse divinitatem. De quo Historia tripartita & Nicephorus meminerunt, & multa in scriptis Cyrilli extant.

Eodem Theodosio imperante Anno CCCCXLIX contraria hæresis oborta est Autore Euthychete Archimandrita, seu Abbate Constantinopolitano. Cui favit Theodosius, ut fuit magnæ levitatis, qui Nestorium cum libris suis penitus exstinctum voluit. Confudit autem Eutyches duas naturas in CHRISTO, & permiscuit, ut humanam detraheret, divinam duntaxat reliquam faceret. De quo Vigilius copiosè scribit.

Ex ea vero Euthychetis vesana doctrina progenita est Monothelitarum hæresis, quæ Christo unam tantum voluntatem, nempe divinam tribuebat, adeoque verborum præstigiis humanitate spoliabat. Quo errore implicitus fuit etiam Heraclius Imperator, per Cyrum & Pyrrhum Episcopos.

Quæ impia doctrina Imperatoris & procerum Ecclesiasticorum authoritate jam confirmata in populo Christiano, una cum superstitiosâ cultura Divorum & inprimis virginis Mariæ matris Domini, venerationeq; Imaginum non parum juverant sacrilega dogmata Muhammedis & sociorum ejus, adversum Christi Servatoris divinitatem & sacerrimum Trinitatis mysterium, & colorem aliquem verisimilitudinis apud rudes homines adhibuerunt, simulque totum populum Christianum Idololatriæ suspectum

reddiderunt. Id quod animadvertere licet in aliquot locis Alcorani. *Cum verò* Monothelitæ *Christo adimerent voluntatem humanã, nec concederent veri hominis perfectam naturam:* Muhammed *contra probat fuisse hominem, quippe qui comederit & biberit, & reliqua cum hominibus communia habuerit. Sicut &* Esaias *adstruit Messiæ humanitatem perfectam, loquens de* Emanuele, *quod butyrum & mel comedet: hoc est, ritu infantium alendus sit. Deinde cum divam Virginem constaret coli à multis Christianis superstitiosius, ut hodiè quoque fit, dum ejus opem superstitiosi implorant, Reginam cœli, & stellam maris, spem & vitam suam appellantes: Hinc invehitur in Christianos* Muhammed, *quod tres Deos colant, patrem & matrem, & filium: adhæc simulachra, quæ nec videant, nec audiant, nec juvare & obesse possint, venerentur. Et crebrò ingeminat, unum esse Deum, erroneos autem ei consortes adjungere: quæ summa impietas sit.*

Expositis ergò rationibus, quæ planè ostendunt, neq; Dei gloriam obscurare, neq; moribus & doctrinæ Christianæ, neq; ullo pacto Ecclesiam labefacere, quod Muhammedis *doctrina & res gestæ iterum ex typographica officina prodeunt in manus studiosorum; paucis jam, Patres & Domini Reverendissimi, perstringam* utilitates *aliquot redituras ad lectorem attentum, & cum judicio in libris alienæ religionis versantem (quod ubiq; facere convenit, etiam in Ecclesiæ Doctoribus) ut nemo non cernat, in hac editione nullum piaculum, aut scelus aut errorem admissum esse.*

Primum *enim vix ullum scriptum extat, aut memoria rei gestæ, ubi cernantur evidentius horrenda judicia Dei adversum eos homines, qui revelatam sibi veritatem non habent in precio,*

ut

ut fiant salvi: plurisq; faciunt voluptates corporis, & divitias, & alia, quæ caro inimica spiritui expetit. Qui turpissima ingratitudine sua Deum Clementem provocant, ut sua gratia & cælesti custodia destitutos, permittat ludibriis Satanæ, & nunciorum ejus versutiæ atq; deceptionibus, ut mente capti, mendacio palpabili credant, & clarissimam veritatem respuant, sub specie pietatis etiam flagitia magna perpetrantes. Arabia namque, in qua Muhammedica *hæresis edita primum adolevit, ac fota est, deinde collectis viribus in alias regiones irrumpens, populos â Christo Servatore abduxit, quam ornatos doctrina & pietate Episcopos olim habuit? Quam florentes & optimè institutæ in ea fuerunt Ecclesiæ? Quam copiosè lux Evangelii sese diffuderat in eo populo? Cujus nominatim etiam Spiritus S. in Prophetis meminit, cum sermo sit de vocatione gentium ad regnum Christi, velut Ps. 71. Reges Arabum & Saba dona adducent. Et iterum: Vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.* Et Esa. c. 60. *ubi sub nomine Hierusalem sermo est de Christi Ecclesia ex Judæis & gentibus congreganda: Inundatio Camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes; & reliqua. Verum Episcopis ad privatæ rei studium conversis, & negligentibus suum munus: Principibus quoq; magis incumbentibus expilationi plebis, quàm studio tuendi & conservandi veram religionem in populo, creditis â Domino Deo suæ fidei, persequentibus insuper studiosos synceræ pietatis (ut fecit Imperator* Valens, *impietate* Ariana *depravatus: & Episcopus* Lucius, *ejusdem hæreseos sectator) plebs misera, velut oviculatum grex pastore destitutus, abiit in diversas opiniones, & secuta est affectus suos pe-*

 cuinos

cuinos, ut omnes homines natura sunt proclives ad malum, & semper indigent habenis, ut in viis Domini rectà progrediantur.

Hinc cœpit res Christiana inclinare ad occasum apud Arabes,*ut paulatim Ecclesiastica disciplina & Christi notitia exolescerent, & divinæ Scripturæ nomina, & umbra quædam tenuis relinqueretur. Simul etiam liberalis educatio Juventutis & artes bonæ expirarunt. Ut horrida barbaries tandem, & densa ignorantia omnium rerum bonarum, planum aditum præberent Principi tenebrarum, ejusq; legatis artificio decipiendi egregiè instructis, omnia transigendi pro sua pessima libidine in populo infelici. Quocircà eximium organum Satanæ* Muhammed, *adjuvantibus duobus hæreticis profugis, & duobus Apostatis Judæis per doctrinam stolidam, impiam, furiosam, sibi contradicentem in plurimis dogmatibus, quas tamen sutelas oracula Dei, eaq; per* Gabrielem *cœlitus delata asserere, nihil veritus est, Arabes primum, & alios deinde populos Satanæ laqueis ita innexuit, ut pro superstitione & vanissimis næniis nihil facere aut pati, non deniq; mortem occumbere recusent: sempiternam autem veritatem, & veram unius Dei religionem aspernentur, oderint, omni genere malorum persequantur. Quem ista propius intuentem in* Alcorano. *& perpendentem, non horror, non ingens dolor invadat? non metus Judiciorum Dei concutiat? non cura salutis suæ tangat ac moveat, ut ardentius oret; Deoque majorem gratitudinem exhibere studeat, pro summo & inæstimabili bono revelatæ veritatis salutiferæ per Domini gratiam? Cui non veternus excutiatur & segnities in operibus divinis, ut verbum Dei meditetur die ac nocte, idq; sanctâ vita exprimat, & aliis monitor, hortator, impulsor sedulus instet, ne per negligentiam*

tiam & contemptum rerum divinarum in illud barathrum ignorantiæ, & impietatis, & perditionis præcipitentur?

Deinde magnum est operæ pretium cognovisse miseram conditionem & infelicem statum eorum, qui à Turcis abducuntur in servitutem. Quæ res non ex descriptis particulis doctrinæ Muhammedicæ probè cognosci potest: Sed perspecta tota Muhammedis doctrina ex ipso Alcorano, quo religio & Politia, & omnia Turcarum negotia reguntur, tum demum licebit æstimare, in qualem dominatum trahantur captivi Christiani, in quàm vesanum & perplexum doctrinæ genus, in quàm perversam religionem. Grave quidem est spoliari facultatibus, abduci à patria, rapi à parentibus, uxore, liberis & charissimis hominibus: adigi ad immoderatos labores, malignè pasci, flagris cædi, ferre multa indigna. Sed hæc levia sunt præ illis quæ omnia perperpetienda sunt.

Quid enim acerbius queat accidere homini vel mediocri pietate imbuto, quàm privatum solatio Evangelicæ prædicationis, audire insulsas ac futiles doctrinæ Muhammedicæ? Spoliatum sacris & rei divinæ exercitio, spectare instituta prophana, eaque laudibus in cœlos evehi cum elevatione Christianæ religionis: sollicitari denique modis omnibus ad abominabiles & letiferas nugas? Hic dolores & acerbissimi cruciatus animo pio infliguntur: hic tenduntur laquei conscientiarum: hic pericula urgent: hic gravissimæ tentationes circumstant hominem. Quam sanè conditionem vivendi, vel potius serviendi inter Turcas, qui non reformidat, securus indulget affectibus, neque dolet vicem fratrum Christianorum, qui jam sunt in eam sortem pertracti, aut periclitantur, ut brevi deveniant in Turcicam servitutem: eum existimo mente ac sensu carere humano, & quovis trunco ac la-

pide stupidiorem esse. Noverunt certè Christiani periculosissimam vitæ rationem sub infidelibus Principibus & populis intelligentes, inter præcipua pietatis opera posuerunt redemptionem captivorum, & liberaliter tum privatas opes, tum Ecclesiasticas erogarunt ad liberandos homines, quos Persæ, Parthi, Gothi, Vandali *& alii Pagani ceperunt. Ad eandem pietatem extimulabit cognitio doctrinæ* Muhammedicæ *homines, qui modò non sunt profligata mente, ut emendatione vitæ, studio Innocentiæ & bonorum operum, consilio prudenti, orationibus piis provideant, ne in eam miseriam adducantur: fratres etiam, qui tyrannide hostium impiorum premuntur, juvent precibus apud Deum, & omnibus facultatibus. Deniq; supplicent pro persecutoribus, ut pater misericordiarum dignetur eis bonam mentem reddere, ac errorum nebulis sublatis infundere veritatis lucem, quo à laqueis Diaboli erepti, desinant Christi gloriæ, quantum in se est, obsistere, & ejus cultores ad defectionem atq; perfidiam extremam trahere.*

Præterea *collatio* Alcorani *cum Scriptura divina aptissima est, quæ dignitatem, excellentiam, majestatem doctrinæ Christianæ illustret, hominumque mores & corrupta judicia corripiat: Quorum pars fastidit canonicam & orthodoxam doctrinam, pars iniquissimè fert se admoneri verbo Dei: alii, quorũ præcipuè interest curare, ut in Ecclesiis per idoneos Ministros Christiana doctrina proponatur, & scholæ sint rectè institutæ, negligunt sibi divinitus injunctum munus. Est enim in sanctis scripturis Veteris ac* Novi *Testamenti, solida ubiq; veritas: In* Alcorano *scatent absurda mendacia. In sanctis scripturis omnia sibi consentiunt, etiam diverso tempore scripta: In conflando* Alcorano, Muhammed *cum pauculis adjutoribus non potuerunt sibi constare,*

quin

quin crebras ponerent antilogias, & enunciata ex diametro pugnantia. Sacræ literæ sequuntur naturam & optimam rationem dicendi, ut omnia sint plana, simplicia, fidei & charitatis rectissimæ normæ quadrantia: in Alcorano *sine ordine res congeruntur, omniaq́ sparguntur confusè atq́ perturbatè, ut quædam Labyrintho inexplicabiliora sint, etiam confessione illorum, qui exercitati sunt in doctrina* Muhammedis. *Nulla propè argumenti explicatio rite confecta inest, nullus lepos aut suavitas orationis, quæ lectorem detinere possit;* unico rythmo excepto, *ob quem Saraceni* Alcoranum *mirificè prædicant, utq́ semel dicam, Scriptura oracularis aurum & argentum septies purgatum, & triticum purgatissimum, & lux clarissima existit: doctrina* Muhammedis *scoria, & inanes paleæ, & densissimæ tenebræ judicari debet.*

In doctrina Christi apparet, quod pollicetur, jugum suave, & onus leve; In Alcorano *Codice jugum durum & insuave, & onera difficillima: quantumvis* Muhammed *promittat, se religionis rationem faciliorem attulisse, videaturq́, viribus hominis tribuere salutis æternæ adeptionem. Cur igitur tam molestum est professis Christum, ejus doctrinam auscultare: cum* Muhammedistas *non pigeat, gnaros literarum, quotidiè tempus aliquantum lectioni* Alcorani *tribuere? Quanta reprehensione digni sunt literarum studiosi, qui nugis ineptissimis sæpè delectantur, & in eis bonam partem vitæ conterunt, sacras autem literas fastidiosè relinquunt, aut summo cum tædio legunt: cum* Alcoran *inter* Muhammedicæ *Philosophiæ studiosos statis horis, utq́ vocant, canonicis, perlegatur singulis mensibus. Cur in proceribus Christianis tam levis est cura, ut doctrina pietatis per idoneos Viros colatur sedulò & dextrè in Ecclesia, ut scholis præsi-*

præficiantur Magistri sanctis moribus, & eruditione minime vulgari præditi, qui Juventutem recte instituant ad pietatem, & prudentiam, & eloquentiæ facultatem, unde Reip: Viri suppetant, qui eam feliciter gubernare possint: ut rebus tam necessariis, & sine quibus nullo pacto incolumis potest quæcunque Civitas consistere, legitima portio Ecclesiasticarum opum impendatur? ut de privatis hic taceam. Siquidem Alcorano docendo magnifica Gymnasia destinata sunt, & opes ingentes, quibus ingenia excitentur, foveanturq; tam qui docent, quam qui discunt perbenignè. Cæterum Alcorano reguntur non tantum ceremoniæ, & religionem spectantia, verum etiam politica, tam in castris quam domi. Unde nomophylaces, qui hodie Turcarum dialecto vocantur Jeschrehadii, potestatem habent retractandi sententias per Imperatorem latas, si legibus Muhammedicis repugnent. Quæ autem hodie in populo Christiano doctrinæ cælestis reverentia? Vulgares homines admoneri se, & vitia sua carpi non ferunt æquo animo, sed recalcitrant undique, dicentes, se nolle regi à sacerdotibus. Magistratus autem tantum non crimen læsæ Majestatis interpretantur, si acta eorum aliquando sacræ doctrinæ pugnantia redarguantur DEI verbo. Quæ ingratitudo & perversitas magnum profecto malum dabunt, nisi corrigantur.

Adhæc perspectus Alcoran mirifice monstrat, quam faciant imprudenter illi Magistratus, qui prohibendo Evangelij prædicationem, conantur veterem (ut ajunt) fidem retinere [illegible], & confirmare suam potestatem vel tyrannidem, & prohibere motus atq; novationes rerum. Quo facto, isti sibi & subdito populo pessime consulunt. Quandoquidem illud plurimum juvit conatus Muhammedis, quia reperit in Arabia populum barbarum,

& stu-

& stupidum, sine cognitione rerum, sine doctrina cœlesti: qui nomina duntaxat Evangelii & Veteris Testamenti haberet, ac tenuem notitiam Christi. Nam per initia restitit populus Muhammedis, & discipulorum ejus, doctrinæ iis rationibus frivolis, quæ in ore vulgi, carentis solidâ gratiæ & fidei doctrinâ, hodieque audiuntur: Majores nostri vixerunt & mortui sunt in hac religione: quapropter & nos eam retinebimus pertinaciter. Principes nostri sic tradiderunt, sic vitæ exemplo præeunt: qui nobis sequendi sunt. Muhammed homo est nulla re insigni cõmendatus, nec edit miracula, nec ei adhærent homines nobiles & potentiores, sed infirmæ sortis & quasi colluvies hominum: cur igitur fidem illi adhiberemus, & in partes ejus descenderemus? Verum eas objectiones & similes, facillimum fuit Muhammedi solvere, quemadmodum in Alcorano cernitur. Et quia populus Arabicus non fuit certis & solidis sententiis divinæ scripturæ, velut anchoris, confirmatus, adversum fluctus adversariæ potestatis, haudquaquã in certamine, quod non tantum adversũs carnem & sanguinem, sed magis adversus Principes & potestates, adversus mundi Rectores harum tenebrarum, contra spiritualia nequiciæ in cœlestibus fuit, sine armatura Dei perstiterunt, sed palearum ritu ventis impiæ doctrinæ abrepti sunt. Cum enim Muhammed cum suis discipulis aliquandiu subintrando ædes quæsivisset sectatores, confisi jam partibus suis auctis, in apertum protulerunt monstrum adultum: cumque pars populi induisset persuasionem, quod Muhammed veritatem traderet, pars simularet vel ob temporarium commodum, vel ex metu periculorum, obtinuit in vulgo Arabico imperium Muhammed, Principesq; oppressi & extincti sunt, quorum culpâ infelix populus pseudoprophetis objectus est. Habet etiam ætas nostra exem-

plum recens & vividum in regno Monasteriensi Anabaptistarum. Quod nisi divina providentia, & Principum quorundam atq; virorum optimorum, qui Christi Evangelio gaudent, opera fuisset destructum, staret hodie in mediâ Germania regnum per omnia simile Muhammedico in Arabia, quod se per temporis intervalla diffudit in omnes habitati Orbis partes.

Jam vero quem non sæculum hoc turbatissimum excitet, ut pericula, quæ undiq; nobis imminent, circumspiciat, quando res Christianæ & Turcarum inter se confligunt atq; præmixtæ sunt, ut alii cum Turcis fœdus habeant, alii bella gerant, fiantq; incursiones hostium propè quotidianæ, quibus fratres ab oculis nostris ducuntur? Quidq; de nobis statuerit Dominus, ignoratur; cum sint omnes ordines Christiani populi multis & magnis vitiis depravati, & parva cogitatio de vita emendanda. Quare mihi videtur hoc tempore lectio Alcorani non modo utilis, verum etiam necessaria, ut melius ad omnem fortunam nos parare atq; instruere possimus: Sive enim abeundum nobis in captivitatem sit, quod Deus avertat, sive in patria diutius vivere permittatur, summopere conducet inspexisse in authentico libro Turcarum, quibus rationibus nitatur ipsorum religio, & quibus oppugnent fidem Christianam: Simulq; præparatas habere sententias verissimas ex divinis scripturis primum, deinde ex hostium scriptis argumenta, quibus suo gladio jugulentur. Nam in servitutem abducti, & cavere sibi melius poterunt, ut qui prænavigant periculosa loca maris, antea de periculis admoniti: & magnam facultatem habebunt insinuandi Christum idoneis hominibus.

Quibus autem concederetur patriâ frui, occasione reperta, & quasi ostio aperto, vel scriptis, vel etiam vivâ voce tum

Christia-

Christianis captis, tum victoribus viam salutis commodè indicare studebunt, institutis in hoc viris; qui linguarum habeant peritiam, per quas intercedere possit commercium. *Quæ cogitatio fortasse videbitur aliquibus supervacanea & stulta, quod prædicaturus Christum inter* Muhammedistas *vitæ periculum aditurus sit, neq; ullum hominem adducturus Ecclesiæ: quandoquidem in superstitione sua obstinati, non ferant sermonem contradicentem* Alcorano. *Equidem, licet studium erudiendi alienos â Christo, & linguas primarias ad hoc negotium accommodandi, post concilium* Basiliense *totum deferbuit,* multis rationibus in bonam spem erigor, si res divina primum domi rectè constituatur, deinde sancti conatus in timore Domini, & prudenter ad infideles lucrifaciendos Christo extendantur, non parum effectum iri. Tantum experiri juvet, Dominusque dabit successum.

Est & illa non parva utilitas *ex lectione* Alcorani, *quod inde capi possunt exhortationes & castigationes, exemplo Prophetarum & Apostolorum, & Christi Servatoris, qui exterorum dicta & facta in loco adhibuerunt, quibus Christiani extimulentur ad officium. Ut v. g. cum videamus aliquos Epicureos vel porcos magis vivere, ut appareat eos futurum sæculum non credere: An non acres correptiones erunt in eos, si objiciatur, quoties, quam vehementer in* Alcorano *futuræ vitæ persuasio inculcetur? Gravis etiam objurgatio est, Christianos multos imagines ad religionis cultum adhibere, & Divos invocare: quæ tamen* Muhammed *tenebricosæ doctrinæ Magister, cavenda & fugienda esse rationibus solidis evincit.*

Deniq; *in doctrina* Muhammedis *liquidissimè spectare*

*licet, quàm vana & inefficacia sint argumenta, quibus aliqui mẽtium deceptores Christiano populo falsa dogmata venditant & fucant & defendunt. Non verentur enim seductores sua commenta dicere verbum Dei, nixa esse divinis scripturis, id quod & Mu*hammed *fecit. Verum cum pollicitationes magnificæ revocantur ad sacram scripturam, deprehenduntur verbo Dei pugnare, & sententiæ Spiritus Sancti malignè in alienum sensum detortæ. Diu (inquiunt) duravit illa doctrina, ideo vera est, & recta & salutaris. Atqui præscriptio DCCCC. annorum minimè patrocinatur falsæ & impiæ doctrinæ* Muhammedis. *Allegat & multitudinem adhærentium, & potentiam & sanctimoniam. Verum Orbis maxima pars regitur* Alcorano, *& potentissima in mundo: An propterea statim est integra & sincera doctrina illius? Ea est etiam Sacerdotum & Monachorum exquisita species sanctæ vitæ, ut nihil absolutius dici possit. Vulgi autem sanctimonia longe superat Minoritarum & Carthusianorum observantias.* Non tamen ex hominibus fides æstimanda est, sed ex religione seu verâ, seu falsâ homines, sintne cultores Dei, an minus? *Quod si divitiæ, honos, victoriæ, fortunæ successus aliaq; pertinentia ad felicitatem temporariam alicui religioni bonitatem addunt, aut veritatem, nulla est cum* Muhammedica *religione comparanda, cui hæc copiosissimè suppetũt. Sed ratio ista longissimè fallit, ut nisi Turcæ alijque Sectatores* Muhammedis *à suo duce ad Christum transeant, æternæ damnationi adjudicati sint.*

Postremò *quæstio nobilissima de Antichristo inter Theologos, & in quam merito incumbunt omnes pii, explicari non potest, nisi perspecto* Alcorano.

Cum

Cum enim aliquot eruditi homines nostri ævi, idq; ante annos ducentos scripserunt, Muhammedem *caput, & sectæ ipsius totum (ut ita dicam) corpus,* Antichristum *dicant, de quo* Daniel, Ezechiel, Joannes *in Apocalypsi vaticinati sunt. Nihil hac de re poterit exactè constitui, nisi universam* Muhammedis *doctrinam, & instituta ex ipsius organo cognita, cum Prophetiis conferamus. Tum enim demum licebit certum aliquid colligere, an sectam Arabicam cum partibus omnibus pro Antichristo accipiamus: an alium pervestigemus, qui jam venerit, aut venturus exspectetur.*


Et quia mentio Antichristi facta est, peto, Viri Ornatissimi, & concedatur mihi paulisper, ex quo planissimè poterit perspici, quod editio Alcorani *Ecclesiæ Christi non pericula struit, sed periculorum indicium facit: non lædit, sed juvat: quodque* privato affectu *aliquo ducuntur, qui factum nostrum damnant. Ponamus enim, Antichristum (quem veteres aliquot Theologi tradiderunt, annis tantum tribus & sex mensibus Ecclesiam persecuturum, & in templo Hierosolymitano sessurum esse tanquam Deum) jam in* Babylone *aut ulterius etiam in* India, *docere impietatem & omnem nequitiam, aliosq; in sectam suam adducere persuasionibus falsis, alios promissis, alios terrore atq; suppliciis: agere etiam injustissimè, turpiter, nefariè, immaniter: Ut omnis malitia & nequities, & diabolicæ operationes Antichristum obsident. Afferat autem ad nos Vir, cui meritò fides non denegetur, ejus universam doctrinam, & facta plenissimè descripta. Nonne Typographi certatim eum librum in omnes linguas translatum cito spargerent per omnes nationes? Nec quicquam cordatus aut æqui judicii homo reprehenderet eorum factum, sed laudarent omnes boni & sapientes, quod suâ diligentia effecerint, ut homi-*

homines impendentium malorum præmoniti sese præparent, quo per Dei gratiam in tentatione subsistere possint. Et quod peccatum in editione Alcorani, *quo religio & leges Turcarum continentur, nec non aliorum librorum spectatæ fidei, qui res Turcarum docent, admissum est, cum* Turcæ *ritu* Antichristiano *jam grascentur, & vicinos fratres atq; fidei consortes immaniter affligant, videanturq; propè in foribus nostris consistere? Cur non potius favorem quàm odium experimur, qui curavimus edi libros tempestati nostræ maximè accommodos? cur non laudem magis, quàm vituperationem reportamus, qui prodesse voluimus cunctis, nemini obesse.*

Verumenimverò, Domini & Patres colendissimi, religione, sanctimonia, eruditione, sapientiâ Ornatissimi Viri, cum pateat, libros Ethnicorum, Judæorum, *libros etiam curiosis & superstitiosis & maleficis artibus refertos imprimi, nullâ id lege prohibente, nullo id sapiente Viro improbante, in quibus non minus est prophanæ & impiæ doctrinæ, quam in* Muhammedicis *libris: cum Theologia, ut aliæ scientiæ, non modo religionem veram tradere, sed etiam contraria illi cognoscere & judicare soleat: cum expositio doctrinæ* Muhammedis *& rerum gestarum*, pars sit historiæ, *& quidem* Ecclesiasticæ, *quæ dignissima lectu judicatur ab omnibus sano judicio præditis: cum Antesignani fidei orthodoxæ & catholicæ, fraudes hæreticorum in lucem, & quasi ad Ecclesiæ tribunalia protrahere studuerint: cum ante inventam typographiam editus sit olim* Alcoran, *& in Bibliothecas diffusus, extentq; in scriptis Excellentium Virorum in Ecclesiâ, quæ in* Alcorano *maximè sunt prophana: cum lectionem* Alcorani *afferre multiplicem fructum ostenderim: Nihil dubito, vos* editionem *istam probare, neq; ullum prudentem hominem*

re di-

re diligentius perpensâ damnaturum. *Nam de* Calumniatoribus, *quibus nihil ita rectè, syncerè, pieq́ factum est, ut non machinentur inde negotium bonis viris facessere, minus curandum videtur.* *Quos authoritate vestrâ, & studio erga eos, qui Ecclesiam Domini pro sua virili juvare & amplificare cupiunt, â fortunis & famâ nostrâ repelletis.*



Errata benevolus Lector sic corrigat

Pag. 4. lin. 22. lege Muslimici. *pag. 5. lin. 6. lege* domum *lin. 16. lege* Muslimicorum. *pag. 23. lin. 26. dele* promi *& lege* noscantur.

Cœtera candor Lectoris ignoscet.

FINIS.



